



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

10. Rectè Angelos non impedire mortem suorum clientum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

306 Cap. XLVI. *Immatura aliquos innocentes, sed iusta morte obire, les extiterunt? quod utiq, non fieret, si omne peccatum poena sequeretur. Et infra. In tanta igitur impietate hominum, tantisq, peccatis id assequitur patientia DEI, ut se ipsi homines, damnatis vita prioris erroribus, corrigant. Accedit, quod impij iustos exercent, virtutemque illorum reddant splendidiorem. Quod si duo in vno lecto sint, quorum vnus innocens moriatur, alter nocens in vita*

Ibid. vers. 16.

*relinquatur, hoc ipsum non fit sine causa. Nempe quia condemnat iustus mortuus viuos impios, & iuuentus celerius consummata longam vitam iniusti. Ita est, videmus pessimos in longam, saepe viuere senectutem; sed vel ipsa maturata mors iusti eos damnat, indicatque mercedem in hac vita recipere. Condemnat item, quia accusat, tamquam, qui causa sunt, cur iustus è vita*

Apoc. 6. 9.

*hac euocetur, aut eijciatur. Certè animæ interfectorum propter verbum DEI, vindictam clamant. Et mali quò diutius supersunt, eò sibi iram DEI grauiorem thesaurizant; qui quia sic viuere, bonum iudicant, malum censent mori. Itaq; videbunt*

Sapi. 4. 17.

*finem sapientis, & non intelligent, quid cogitauerit de illo DEVS, & quare munierit illum Dominus. Videbunt & contemnent eum: illos autem Dominus irridebit. qui non solùm non intellexerunt, sed*

Ep. Iud. v. 10.

*etiam, quæ non intellexerunt, blasphemarunt spernendo, atq; condemnando, dum submissa reuerentia, DEI consilium, non, vt par erat, sunt venerati.*

X.

Laudent ergo DEVM etiam in innocentum morte, qui DEVM credunt; neque Angelo suo negligentiam impingant, si eos à morbis, si à vulneribus, si quando à casibus repentinis, si à morte non defendit. Potest illud facere, sicut Israëlitas, in columna, defendit à Pharaone; sicut Tobiam à pisce, sicut à leonibus Daniele; Iuditham ab Holoferne; tres pueros in ipso incendio fornacis, & sanè quotidie millies id facit; sed quando contrarium prodest magis, quando Christus ait: *Sinite paruulos, per mortem, venire ad me, talium enim est regnum caelorum,* tum DEI cursum non impediunt, neque manum iniiciunt diuinæ gubernationi; immò tum maximè suum officium exequentur. Vt enim Angeli illius officium præcipuum fuit, non solùm, *vt custodiret in via, sed etiam, vt introduceret in locum, quem Israëlitis Deus præpararat, hoc est, in terram sanctam; ita nostri*

Exod. 23.

Cap. XLVII. Multos juvenes, quia nocentes, morte jussu tolli, 517

nostri custodis officium est, ut nos in terram viventium introducat, quò introitus non patet, nisi per mortem. Maxime igitur curat nos in morte, quam conatur in conspectu Domini facere pretiosam. Iubet Christus, si pes vel manus nos scandalizet, eas abscindere, si oculus, illum nos eruere. Si nos ipsi nobis parcere non debemus, cur Angelus in pædagogum datus parcat, & morbum tollat, per quem mors venit, quæ nos ad cælum transmittit? Docet S. Thomas, Christum non habuisse Angelos custodes, sed ministros: nam ut Deus, erat ipse custos Angelorum, ut homo secundum animam fuit beatus, & ita non indignit custodibus secundum corpus, satis superque à Verbo diuino hypostaticè vnito protegebatur. Poterat igitur se etiam contra mortem, & multò validiùs, quàm vllus Angelus custos, si quem habuisset, protegere, & tamen id non fecit, sed sponte morti se obtulit, dicens: *Ego animam meam pono. Cur? quia sic oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam corporis sui: immò sic & nostras animas in eandem gloriam introducere. Tantum ergo abest à seuitia Dei, mors innocentum, ut etiam à favore & amore illius proficiatur: non quòd tales morte, sed quòd vitâ dignos iudicet meliore. Non aufert talentum plumbi, qui talento id auri commutat. Non injuriam, sed gratiam facit, qui morbis, qui catenis, qui carcere liberat, qui valetudinem, qui libertatem donat. Si laboranti grata est quies, si ambulanti iucundum hospitium; si seminanti messis optata; debet etiam mors homini non grauis videri, per quam ad quietem, ad mansionem, ad messem præmiorum peruenitur. Loquimur enim de morte hominis innocens, qui quia in benedictionibus seminat, de benedictionibus & metetur.*

Matth. 18:

S Thom. 1. p. 1. q. 113, art. 4. ad. 1.

Luc. 24. 16.

CAPVT XLVII.

*Multos immaturam mortem obire, qua, ob delictum, digni, & non iam innocentes sunt.*

**P**etrus & Charon duo sunt piscatores hominum: vterque suam cymbam, vterque suos pisces habet: ille filios Ecclesie, iste filios mortis, vehit siue sint filij Ecclesie, siue

I.